



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

IX. De eodem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

ANNO  
 CHRISTI  
 1137.

appellantur, lucrari plus appetant quam exoluant, turpes exactiones faciunt, quæ interdum etiam cadunt in simoniacam prauitatem. Quare statuendo districtius prohibemus, ne dignitates vel officia, puta decanatus, vel archidiaconatus, siue prouentus, ex ecclesiasticæ vel spiritualis iurisdictionis exercitio, siue ex pœnitentia vel altari, seu aliis sacramentis quibuscumque venientes, ad firmam de cetero nullatenus concedantur.

VIII.

Cum laicis ecclesias dari ad firmas sit penitus inhonestum, & clericis quibuscumque ad longum tempus, propter continuationem temporis, quæ afferre consuevit periculum, ecclesiis posset esse damnosum, vtrumque districtius inhibentes statuimus, vt nec laicis vnquam, nec personis etiam ecclesiasticis vltra quinquennium ecclesiæ ad firmam concedantur, nec finito quinquennio renouentur eisdem, nisi prius ipsas habuerint alii mediate: & vt omnia sint in tuto, præcipimus vt præsentibus episcopis vel archidiaconis firmaria fiat conuentio, ex qua plures literæ conscribantur, quarum vna remaneat penes ipsos.

IX.

Alicubi audiuius contigisse, quod vacante pingui ecclesia, quam quidam optabat habere, nec tamen audebat eam recipere vt persona, ne aliis ipso iure beneficiis quæ obtinuit priuaretur, callide procurauit vt ecclesia illa sibi ad firmam perpetuo traderetur, ita quod modicum quid inde solueret alii nomine personatus, sibi que totum reliquum

retineret : quo dante causam , edicto statuimus , vt in tota vel in parte ad firmam alicui sub quocumque colore in beneficium conferatur : cassum & inane fore penitus decernentes , si contra fuerit attentatum.

## X.

Ad vicariam statuimus nullum admittendum , nisi iam presbyterum ordinatum , vel saltem diaconum in proximis quatuor temporibus ordinandum , qui renuntians beneficiis aliis , si quæ habet curam animarum habentia , iuret residentiam ibi facere , ac eam faciat continue corporalem : alioquin institutionem illius fore nullam decernimus , & vicariam alii conferendam. Sic eluditur illi dolo , quo sæpe assignato alicui nomine personatus modico , simulate dabatur illi ecclesia sub ficto nomine vicariæ , qui timens alia beneficia perdere , metuebat eam recipere vt persona. De iam institutis vero vicariis , qui non sunt presbyteri , cum vicarii teneantur personis & ecclesiis deseruire , statuendo præcipimus , vt infra annum , ad minus , se faciant in presbyteros ordinari : alioquin , si per eos steterit , quo minus infra annum vt diximus , ordinentur , eos extunc vicariis eisdem fore decernimus priuatos , & de residentia circa eos statuimus quod de instituendis supra diximus statuendum.

## XI.

Ad elidendum fallacias iniquorum , sagaci est studio laborandum cuiilibet iustitiæ amatori , ne sit torpescat rectorum industria , simplicitas a versutia supplantetur , & succumbat veritas falsitati. Sa-